

laus I. & Leo IX. Sed Innocentius III. Papa in Concilio generali Lateranensi Sedi Constantinopolitanae indulgit secundum in Ecclesia dignitatis gradum. Hoc obiter annotato, texenda est modis series Episcoporum, qui quarto saeculo ad Thronum Constantinopolitanum fuerunt euecti. In primis *Metrophanes* creatus fuit Episcopus Constantinopolitanus anno cccxvii. & sedit annos decem, sicut testantur *Theophanes*, & *Nicephorus* in Chronico. Quapropter, stare haud potest sententia Baronii, qui absque ulla vetusti Codicis auctoritate, & contra veterum Scriptorum fidem, tempora Sedis *Metrophanis* Episcopi Constantinopolitani intra triennium coarctavit. Illustrissimus quippe *D. de Marca lib. 5. de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 3.* & ibidem *Baluzius* in doctissima quam edidit, observatione, erudite ostendunt, *Metrophanem* Episcopum Constantinopolitanum tempore Synodi Nicenae, hoc est anno cccxxv. adhuc in vivis fuisse, idque aperte evincunt ex *Gelasio Cyziceno*, qui circa annum cccclxxx. Acta Concilii Niceni collegit, seque ex tertio libro *Eusebii* de vita Constantini haec ad verbum transcripsisse profitetur: *Ipsa ex Hispaniis valde celebratus Osius, obtinens locum magne Romae Episcopi Silvestri, cum Presbyteris Romae Vitone, & Vincentio, cum plurimis aliis confidebat. Urbis autem illius, quae nunc imperat Episcopus, Metrophanes nomine, propter senectutem non adfuit, ipsius vero Presbyteri, qui aderant, locum ejus supplere; quorum unus erat Alexander, qui Urbis Episcopatum post Metrophanem adeptus est.* Ex quibus verbis liquido patet, *Metrophanem* Urbis, quae tunc imperabat, seu Constantinopolitanae, Episcopum tempore Synodi Nicenae adhuc in vivis fuisse, ejusque loco interfuisse huic generali Synodo illius Presbyteros. *Metrophanes* morbo, & aetate fessus, statim post Synodum Nicenam vita functus est, & in ejus locum substitutus est *Alexander*, ad quem directa dicitur *Alexandri* Patriarchae Alexandriae contra *Haereticum Arium* Epistola, quae extat apud *Theodoretum* lib. 1. Hist. Eccles. cap. 3. cum hoc titulo: *Alexandri Episcopi Alexandrini Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum.* Verum, etsi ex *Theodoreto* certum sit, *Alexandrum* Patriarcham Alexandrinum direxisse Epistolam ad cognominem suum, id est, ad *Alexandrum*, non convenit tamen inter peritos Criticos, hunc *Alexandrum*, ad quem directa est illa Epistola, fuisse *Alexandrum* Episcopum Constantinopolitanum. At enim, merito observat *Baluzius*, titulum illius Epistolae mox a me relatum, & qui nunc legitur in editionibus Graecis Historiae Ecclesiasticae *Theodoretii*, non extare in duobus vetustissimis Codicibus MSS. Bibliothecae Regiae, in quibus eadem continetur Historia, neque in Editione Graeca *Roberti Stephani*; Editionem vero Latinam *Basilicae* editam anno mdcxi. haec tantum in titulo habere: *Epistola missa ab Alexandro Alexandrino ad suum cognominem.* Ex quo concludi potest, illius Epistolae titulum, qui nunc legitur in Editionibus Graecis *Theodoretii*, non esse a

*Theodoreto* appositum, sed adjectum a *Librario*, vel ab *Interprete*. *Alexander* Episcopus Constantinopolitanus obiit anno cccxl. eique successit eodem anno *Paulus*, cujus electionis occasione orta est Constantinopoli seditio, & *Plebs* in duas partes divisa palam ad opinionum contentiones, & ad pugnam usque prorupit, & *Arianis* quidem studium fuit, ut *Macedonius* ordinaretur, *Homousiani* (id est *Catholici*) contra operam dabant, ut *Paulus* crearetur Episcopus, idque tandem prevaluit. Existimavit *Baronius*, *Paulum*, postquam anno cccxl. ordinatus fuisset Episcopus Constantinopolitanus, in exilium ab Imperatore *Constantio*, agentibus *Eusebianis*, in Pontum fuisse relegatum. Sed *Cl. Pagius*, ad annum cccxl. luculenter ostendit, primum illud exilium non a *Constantio*, sed a *Constantino Magno* fuisse circa annum cccxxviii. *Paulo* irrogatum post Concilium Antiochenum, in quo depositus fuit *Eustathius* Episcopus Antiochenus, quo tempore *Paulus* necdum Episcopus erat, sed dumtaxat Presbyter. *Paulus* igitur electus Episcopus Constantinopolitanus anno, ut dixi, cccxl. ab Imperatore *Constantio* Episcopatu fuit statim dejectus, sed non in exilium missus, sicut his verbis diserte testatur *Socrates* lib. 2. Hist. Eccles. cap. 7. *Imperator, seu Constantius, non multo post Constantinopolim ingressus, ob illius, seu Pauli, ordinationem, gravissima exarsit ira: collectoque Arianorum Antistitum Concilio, Paulo quidem Episcopatum ademit, Eusebium vero ab Urbe Nicomedia translatus Constantinopoleos Episcopum designavit.* Ubi aperte *Socrates* *Paulum* Constantinopolitano Episcopatu ejectum, non exilio multatum dicit. Deposito itaque *Paulo* legitimo Episcopo Constantinopolitano, *Eusebium Nicomediensis* Sedem Constantinopolitanam eodem anno invasit, & mortuus est anno cccxli. Post illius obitum *Paulus* a Constantinopolitanis in Sedem restitutus fuit, sed ab *Eusebianis* *Macedonius* in *Eusebii* locum subrogatus est. Quae res ingentem tumultum Constantinopoli excitavit. *Hermogenis* siquidem Magistri Militum a *Constantio* Imp. missi, ut *Paulum* Constantinopoli expelleret, domus a *Plebe* incensa est, ipseque miserum in modum pedibus tractus, ac truncatus, a Populo in Mare praecipitatus est. Quo audito Nuntio, Imperator *Constantius*, abjecta omni cunctatione, magnisque itineribus Constantinopolim venit, & *Paulum* Sede dejectum catenis ferreis vincitum *Singarum* relegavit, & aliquanto post inde *Emesam* transtulit. Sunt qui dicunt, *Paulum* missum fuisse postea *Cucufum* Armeniae Oppidum, ubi fuerunt elisa laqueo fauces (a). At *Cl. Pagius* existimat, *Paulum*, antequam celebraretur Concilium Sardicense, hoc est, ante annum cccxlvii. a *Singarum*, & *Emeseno* exilio solum, Episcopatus sui Constantinopolitani locum recipisse a *Constantio* Imperatore, vel in gratiam Constantinopolitanorum, qui eum praecipuo quodam amore prosequerantur, vel ob metum fratris sui *Constantis* Augusti, qui frequentibus literis ad *Constantium* missis, ut *Paulus*, *Athanasius*, & reliqui Orientis Episcopi Orthodoxi suas in Sedes restitue-

rentur, obnixè postulaverat. Quamvis autem *Paulus* suae Sedi Constantinopolitanae fuerit restitutus ante celebrationem Concilii Sardicenis, non interfuit tamen huic Concilio, quia cum ad illud proficendum sese accingeret, detentus est a Civibus Constantinopolitanis, eo quod pertimescerent, ne ab *Arianis* per insidias interficeretur. Migravit ex hac vita *Paulus* anno cccli. & colitur a Graecis die vi. Septembris, a Latinis vero die vii. Junii. *Macedonius*, quem *Eusebiani* anno cccxlii. ordinaverunt Episcopum Constantinopolitanum, exautoratus est anno ccclx. in ejus locum ab *Arianis* suffectus est *Eudoxius* *Arianus*, qui decessit anno cccxxx. *Eudoxio* successit *Demophilus* pariter *Arianus*. Sed *Catholici* Constantinopolitani *Evagrium* sibi Episcopum praefecerunt. Post cujus mortem *S. Gregorius Nazianzenus* anno cccxxxix. Constantinopolim sese contulit, ubi per triennium Episcopale munus obivit. Sed cum in Concilio generali Constantinopolitano primo nonnulli Episcopi contra ipsum tumultus excitassent, *S. ille* Antistes pacis, & quietis amans Sedi Constantinopolitanae nuncium remisit, & in ejus locum substitutus est *Nestarius*, qui Constantinopolitanam rexit Ecclesiam usque ad annum cccxcvii. eique successit *Sanctus Chrysostomus*, de quo in nostris quinti saeculi Colloquiis plura, auxiliante Deo, dicemus. Habes nunc compendiose contextam seriem, ac successionem Episcoporum, qui praecipuas Ecclesiae Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam quarto saeculo tenuerunt, & graviora Ecclesiae negotia eodem saeculo tractarunt. Superest modo, ad habendam plenam, & integram Historiae Ecclesiasticae quarti saeculi notitiam, ut exponam qualis fuerit Doctrina, Disciplina, & Moralis hujus saeculi. Sed ne longius nostrum protrahatur Colloquium, hoc de argumento opportunius in proximo nostro Colloquio differemus.

„ (a) *Socrates* quidem nihil habet de prioribus exilio *Pauli* Constantinopolitani, sed ejus silentio praevalet auctoritas fragmenti *Athanasiani*, de quo in superiori mea adnotatione, cujus verba hic integra referre libet: *Conf. Hypatio, & Catulino* (hi *Consules* non apparent in factis, poterant tamen esse suffecti) *Theodorus, Narcissus, Georgius cum ceteris* (Arianis) venerunt Constantinopolim, volentes persuadere *Paulo* communicare sibi; qui nec verbo eos suscepit, etiam eorum salutationem anathematizavit. Assumentes itaque secum *Eusebium Nicomediensem, insidiati sunt beatissimo Paulo; & interponentes calumniam illi de Constante & Magnentio expulerunt Constantinopoli, quo possent locum habere, & Arianam haeresim seminare: populus autem Constantinopolitanus, desiderans beatissimum Paulum, perseveravit seditionibus, ne duceretur ex urbe, amantes sanam doctrinam ejus. Imperator sane iratus comitem *Hermogenem* transmisit, ut eum efficiat. Quo audito populus per mediam civitatem extraxit *Hermogenem; ex qua re occasione nata adversus Episcopum exiliave-*  
Graveson Hist. Tom. I.*

„ runt eum in Armenia. En hic expulsiones „ geminas.

## COLLOQUIUM VI.

Da Doctrina, Disciplina, & Morali  
quarti Ecclesiae saeculi.

**D.** Licet ex ea, quam in praecedentibus nostris Colloquiis exhibuisti, successionem Episcoporum, qui in quatuor prioribus Ecclesiae saeculis praecipuas Sedes tenuerunt, & a quibus inviolabili temporum serie ad nos usque propagata est Catholicae Fidei doctrina, facili negotio confutari possint Haeretici, quibus solemne est calumniari Ecclesiam Romanam, quod a doctrina priorum Ecclesiae saeculorum deflexerit: Nihil secius rem longe mihi gratissimam faceres, si doctrinam Fidei, quam *Catholici* quarti Ecclesiae saeculi constanter ubique professi sunt, paucis in praesentia exponere velles.

**M.** Fidei Catholicae doctrinam nulli mutationi, aut vicissitudini temporum obnoxiam esse, etsi tam certum sit, quam quod maxime, aliquando tamen necessum est, ut, dum ab Haereticis oppugnatur, variisque insulcatur erroribus, clarius, ac distinctius proponatur, explanetur, atque in evidentiori luce, quantum fieri potest, constituatur. Hinc saepius Ecclesia ad compescendas erumpentes Haereses solita est novas quidem, sed appositas excogitare, ac consecrare voces, quibus avita Fidei Catholicae doctrina illibata conservetur, eamque Fideles ab erroribus, quos Haeretici quaquaversus temere spargunt, discernere possint, & ab his penitus abstineant loquendi formulis, quae ob ancipitem, dubiamque significationem in pravum, & peregrinum sensum detorqueri queant. Sic secessit Ecclesia in quarto saeculo circa doctrinam Fidei de Sanctissima Trinitate, & de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, quam id temporis Haeretici totis suis viribus aggressi sunt. Patres quidem Concilii Niceni primi Oecumenici notam non invexerunt doctrinam circa Fidem, quam de Sanctissima Trinitate fideles ab ipsis Ecclesiae primordiis jugiter tenuerunt, sed, cum probe nossent fraudes, & artes *Arianorum*, qui voces ad ineffabile Mysterium Trinitatis explicandum haecenus in Ecclesia usitatas sinisteris interpretationibus suum sensum haereticum praepostere deflectebant, consultissimum ad omnem tergiversandi Haeticorum cohibendam licentiam esse judicarunt hanc vocem *homoion*, seu *Consubstantialis*, usurpare, & communi adoptare suffragio, ut *Catholici* fidem suam, qua credunt, Verbum Divinum esse ejusdem substantiae cum Patre, per hanc unam vocem actutum exprimere possent, sibi que caverent ab illis hominibus, qui hanc vocem aut repudiabant, aut ea uti pertinaciter detrectabant. Eodem motivo ducti Sancti Patres, & Scriptores Ecclesiastici, qui quarto saeculo in *Arianos* calamum acuerunt ad propugnandam Catholicam Ecclesiae Fidem, coacti sunt Sanctissimae Triadis Mysterium uberius dilucidare, va-



ria videlicet adducendo locupletissima Scripturæ Sacræ testimonia, Hæreticorum objecta diluendo, difficultates explanando, nativam, & propriam præfigendo significationem, quam præ se ferunt istæ voces, *Substantia, Natura, Persona, & Hypostasis*. Sed tamen doctissimi illi Scriptores sedulo in suis lucubrationibus Fideles præmonebant, istud de Sancta Trinitate Mysterium rationi, sensibusque omnino impervium esse, nec curiosius investigandum, sed firma dumtaxat fide credendum, pronoque capite adorandum. Porro quemadmodum Sancti Patres contra Arianos disputantes, Consubstantialitatem trium Divinarum Personarum, quam præfracte negabant isti Hæretici, omni argumentorum genere stabilierunt, sic ex adverso Sancti Patres refellentem errorem Sabellianorum, & Photinianorum, qui tres Sacræ Triadis Personas promiscue confundebant, trium Divinarum Personarum distinctionem necessario juxta Fidem Catholicam esse admittendam docuerunt.

Hic tamen obiter advertere debes, inter Catholicos quarti Ecclesiæ sæculi necdum convenisse de propria, & genuina significatione istius vocis *Hypostasis*. Nonnulli quippe autumantes hac voce *Hypostasis* designari *Personam*, affirmabant, tres *Hypostases* in Trinitate esse admittendas. Versa vice, alii nomine *Hypostasis* intelligentes *Naturam*, seu *Essentiam*, vel *Substantiam*, assererent, unicam in Trinitate esse *Hypostasin*. Sed hoc Catholicorum quarti Ecclesiæ Sæculi de una, vel tribus in Sancta Trinitate Hypostasibus dissidium fuit tantum de nomine, nec de veritate Mysterii, sed de verbis dumtaxat, quibus in eo explicando, ad evitatos præcavendos errores, utendum esset, inter eos quæstio versabatur. Unde S. Athanasius, teste S. Gregorio Nazianzeno in Oratione de laudibus S. Athanasii, utraque parte teniter, & humaniter accersita, verborumque sententia diligenter, & accurate perpensa, posteaquam concordēs reperit, & neque quoad doctrinam quidquam inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum ipsis concedens, rebus eos constringeret. Hunc tamen S. Athanasii concordiam modum non placuisse Patribus Latinis facile colligitur ex Epistola LVII. S. Hieronymi ad Damasum Papam, ubi hæc habet; *Taceant tres Hypostases, si placet, & una teneatur*. Verum, postquam ex usu, & praxi Ecclesiæ determinata est hæc vox *Hypostasis* ad exprimentam non *Substantiam*, sed *Personam*, tota lis finita est, ac tres Hypostases in Trinitate omnes Latini ultro admisserunt.

Sub initium quarti Ecclesiæ sæculi nulla de Divinitate Spiritus Sancti mora est disceptatio, sed solum de Divinitate Verbi, ejusque cum Patre Consubstantialitate, quam inficiabantur Ariani, magno animorum æstu hinc inde, diu multumque disputatum est, ac tandem pluribus in Conciliis stabilita fuit Catholicæ Fidei doctrina (a). Ast, quarto jam senescente sæculo Mucedonius eo audacia, & temeritatis prorupit, ut divinitatem Spiritus Sancti negavit, eumque in creaturarum ordinem redegerit. Quam Hæresim multi Doctores Catholicæ eruditæ Operibus confutarunt, &

Generale Concilium Constantinopolitanum primum anno cccclxxxii. convocatum de Divinitate Spiritus Sancti Articulum Symbolo Ecclesiæ, uberius explicationis ergo, inseruit his verbis: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas*. Hæc fuit constantis omnium Catholicorum in quarto Ecclesiæ sæculo de Sanctissima Trinitate doctrina.

Circa vero Incarnationis Verbi Divini Mysterium, Ecclesia adversus ejusdem quarti sæculi Hæreticos statuit aperte distinctionem geminam in Christo naturæ, divinæ nimirum, & humanæ in unione Personæ Divinæ. Quamobrem, damnavit Arium, qui Verbum Divinum in Christo loco Animæ fuisse effutiebatur, & Anathema dixit Apollinario, qui nobilissimam Animæ partem, seu mentem Christo abjudicabat, ac utramque illius naturam confundere videbatur. Quod igitur Ecclesia, & Scriptores quarti sæculi in stabilendis, & eliquandis duobus istis fidei de Trinitate, & Incarnatione Verbi Divini Dogmatibus tantopere insudarint, omnemque suam posuerint operam, in causa fuit petulans, & effrenis audacia Hæreticorum, qui hæc præcipua Fidei nostræ Dogmata quarto sæculo oppugnarunt, ac funditus subvertere moliti sunt. Unde, data opera ejusdem sæculi Scriptores Ecclesiastici nullos ediderunt libros ad vindicanda, vel explicanda alia Religionis Christianæ Dogmata, quæ ea ætate ab Hæreticis non imperebantur, sed illa dumtaxat in suis Catechesibus & Homiliis simpliciter eloquio Fideles edocuerunt, & a vanis istis, atque inutilibus quæstionibus, quas circa Mysteria Fidei nostræ de possibili, ut ajunt, & de quomodo postea in Theologiam intempesive intulerunt subtiliorum quorundam hominum ingenia, penitus abstinuerunt.

(a) Quarto jam inclinante sæculo dissidia de divinitate Spiritus Sancti palam agitari ceperunt, ut optime P. Gravesonius admonet; verum dogma istud hæreticum jam tenuisse Arium, atque cum ipsa ejus hæresis initium habuisse, penes me certum est. Neque enim Divinæ Filii natura negari poterat, quin simul & a divinitate Spiritus Sanctus excluderetur; alias in unica divinitate hypostases duas admitti opus fuisset, quod nec Arius unquam, nec Arriani dixerunt. Id de Arriano dogmate agnovit S. Basiliius Epist. 78. ex editione nova P. Garnerii scribens Nicænos PP. nihil de divinitate Spiritus Sancti attigisse, quod tunc nulla de divinitate Spiritus Sancti lis agitari cæpta esset, paulatim vero progressum habuisse mala impietatis semina, quæ antea ab auctore illius hæresis Arrio facta, ab iis deinde, qui ipsius propugnanda dogmata male susceperant, ad Ecclesiam perniciosè navata sunt. Philosophi etiam illi gentiles, quos Arius in Concilio Nicæno disputantes pro se induxit, ut in collectaneis Gelasii Cyziceni legimus, non ambigue asseruerunt Spiritum Sanctum creaturam esse, quod colligitur ex verbis

verbis illis Leontii Cappadocis ad unum ex his philosophis: *Sufficit quæ dicta sunt de operibus Sancti Spiritus, o philosopho, ut ipsum credas simul cum Patre & Filio omnium factorum creaturarum esse creatorem & ejusdem Divinitatis atque substantiæ, cujus est Pater & Filius*. Ex his colligimus recte ac vere scripsisse Petavium Theolog. Dogmat. de Trinit. lib. 1. cap. 14. *quocirca suspicor Arrium principio de solius Filii Divinitate contendisse; postea vero privatis in colloquiis ac disputationibus, cum a Catholicis urgeretur, & de Spiritu Sancto identidem injecta esset mentio, etiam de hoc mentem aperuisse suam. Etenim quibus ille moveri argumentis assererat, ut creatum esse Filium diceret, ea multo de Spiritu Sancto concludebant magis, cum nemo adhuc desipuerit hæreticus, ut Filio anteponeret Spiritum Sanctum. Verum Catholici Patres in prius illud & ab auctore ipso vehementius ac manifestius explicatum nefarie dogma hæresis intenti de solo Filio publicum & apertum certamen instituerunt. Placuit integrum hoc Peravii testimonium recitare ad confirmandam opinionem meam, impium dogma contra Spiritum Sanctum idem habuisse cum Arriana hæresi initium.*

D. Si Sancti Patres, & quarti sæculi Scriptores Ecclesiastici libros dumtaxat ediderint ad propugnanda, & explicanda Catholicæ Fidei de Sancta Trinitate, & de Incarnatione Verbi Divini Dogmata, certe non video, ut candide fatear, quo pacto nunc Catholici Doctores ex libris Sanctorum Patrum, & quarti Ecclesiæ sæculi Scriptorum probare poterunt adversus nostri temporis Hæreticos alia Fidei nostræ Dogmata, quæ ab ipsis in controversiam vocantur, & quæ Sancti Patres, & Scriptores quarti Ecclesiæ sæculi nec stabilienda, nec exponenda unquam susceperunt. Quis eutem non videt, hinc inutile plane reddi traditionis argumentum, quo Doctores nostri Polemici adversus Heterodoxos probare solent antiquitatem, consensionem, & universalitatem omnium Fidei nostræ Dogmatum, quæ ubique, quæ semper, & ab omnibus credita sunt?

M. Quamvis Sancti Patres, & Scriptores quarti Ecclesiæ sæculi libros dumtaxat ediderint ad explicanda, & asserenda hæc duo Fidei Catholicæ Dogmata de Sancta Trinitate, & Incarnatione Verbi Divini, alia tamen Religionis Catholicæ dogmata in suis Homiliis, & Catechesibus, ut jam insinuavi, sine ullo disputationis strepitu fidelibus ita discrete tradiderunt, ut in Sole cæcutire videantur illi, qui id inficias ire præsumunt. At enim Sancti Patres quarti Ecclesiæ sæculi discrete docent realem præsentiam Corporis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Peccati originalis ad omnes omnino homines propagationem, omnesque illius peccati appendices exponunt. Baptismum singulis hominibus, etiam parvulis, absolute ad salutem consequendam necessarium esse statuunt. Necessitatem penitentia inculcant, & Ecclesiæ vindicant potestatem remittendi peccata. Cultum, qui defertur Cruci Christi Domini, Beatæ Virgini, Apostolis, & Martyribus

approbant. Ecclesiam non ex solis electis, & prædestinatis, sed etiam ex reprobis, & peccatoribus constare evincunt contra Donatistas. Scripturæ Sacræ revelationem, inspirationem, antiquitatem adstruunt, illiusque, & Apostolicæ traditionis auctoritate ad profligandos Hæreticorum errores, passim utuntur. Liberum hominis arbitrium per primogeniam Protoparentis labem fuisse quidem fauciatum, & elevatum, sed non extinctum, demonstrant contra Manichæos, quorum alios itidem crassos errores invictis argumentis proterunt. Falsas quasdam opiniones, in quas nonnulli priorum Scriptores aberant, videlicet de terreno Christi millenario Regno, de carnali Angelorum cum mulieribus commercio explodunt. Uno verbo, legentibus Opera Sanctorum Patrum, & quarti sæculi Scriptorum Ecclesiasticorum, Sole clarius patebit, omnia Catholicæ Ecclesiæ Dogmata fuisse hoc sæculo uberius explicata, & cum majori, diligenti, accuratiorique consideratione ponderata, & illustrata, quam in aliis præcedentibus sæculis.

D. Possunne inoffenso pede omnes decurrere libros tamquam puros, & ab omni errore immunes, quos ediderunt Sancti Patres, & Scriptores quarti Ecclesiæ sæculi?

M. Auctor tibi sum, ut indefesso studio incubas lectioni Operum Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui quarto sæculo floruerunt, ex quibus hauries puram Catholicæ Fidei doctrinam. Licet enim Catholici discipulæ Critices periti nonnullos observaverint nævos in libris Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui quartum Ecclesiæ sæculum doctrina, & pietate illustrarunt, fatentur attamen illos nævos levissimos esse, nec spectare doctrinam, sed Historiam dumtaxat, vel Chronologiam, vel quorundam nominum Hebraicorum interpretationem. Unde Sanctos Patres, & Scriptores Ecclesiasticos quarti sæculi optimo jure vindicant ab his erroribus, quos *Dallæus* Pseudo-Minister Calvinista eis temerario ausu inussit, ut labefactaret illorum auctoritatem, quæ in Ecclesia Catholica maximi ponderis est. Cautè tamen, ut obiter dicam, legere debes libros *Divinarum Institutionum* editos a Lactantio ob aliquos errores, qui in illis offenduntur. Docet quippe lib. 2. cap. 15. Angelos mulierum congressibus sese inquinasse, & ex his procreatos fuisse terrenos Dæmones. Lib. 4. cap. 18. ait, *Pilatum* sententiam mortis in Christum non protulisse, quod sane Historiæ Evangelicæ aperte repugnat. Lib. 7. cap. 12. Concludit Mundi durationem sex mille annorum spatio, & cap. 24. ac sequentibus, totus est ut probet terrenum Christi mille annorum Regnum. Sunt etiam in operibus *Methodii* duo errores minime dissimulandi. Primus est Methodio cum aliis veteribus communis, quod Angelos mulierum amatores putavit, eoque amore lapsos esse. Alter error legitur in libro, quem edidit *Methodius*, de *Resurrectione*, cujus fragmentum describit S. Epiphanius, ubi asserit *Methodius*, homines quosdam post Resurrectionem, & ultimum Judicium in terra æternum habi-



habituros Angelorum more, sine ulla mutatione, in immortalitatis statu optima quæque facturos. Si plura de Sanctorum Patrum lectione desideres, legis doctissimi Patris *Mabillonii* librum de *Monasticis studiis*, & alterius Auctoris *Tractatum Gallice scriptum*, qui præclara hæc de re habet, atque utilissima documenta, docetque prudenter quam sibi partem ex ampla Patrum lectione pro sua virili quisque sumat præcipue tractandam, ut, juxta illud Sapientis monitum, *videat quisque prius quid possit, deinde, totum faciat quod possit: nam si quo in genere plurimum potest, & in eo magnopere adlaborat, egregium sibi opus relinquit.*

D. De doctrina, qua Catholici fuerant imbuti quarto Ecclesiæ sæculo satis hæcenus dixisti. Ostende nunc, qualis fuerit in Ecclesia eodem sæculo observata disciplina?

M. Rem profecto immensam aggredere, si quarti sæculi disciplinam Ecclesiasticam minutatim, ac pro rerum singularum dignitate in præsentia commemorare vellem. Hanc nobilem Provinciam suscepit, eaque egregie defunctus est doctissimus Pater *Thomassinus* Congregationis Oratorii Presbyter in his, quos edidit, libris de *Nova & antiqua Ecclesiæ circa Beneficiarios disciplina*. Quapropter pro instituti nostri ratione sufficiet summa capita disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ quarto nominis Christiani sæculo obtinuit, decerpere, ac prælibare, ex quibus veram effigiem purioris disciplinæ hujus sæculi in mentem tuam facile inducere poteris. In primis, cum cessassent quarto Ecclesiæ sæculo Ethnicorum Imperatorum persecutiones, & potentissimo Imperatorum Christianorum munita patrocinio pacis in sinu quiesceret Ecclesia, plenoque omnia Religionis officia libere exercendi jure potiretur, maximum splendoris incrementum suscepit Ecclesiæ disciplina, auctæque cæremoniæ, quæ ad conciliandam cultui Divino majestatem adhiberi solent. Imperatores erecta magnificentissima Templâ cum incredibili pompa, & solemnitate in suis Quinquennialibus, Decennialibus, Quincennialibus, & Vicennialibus, vero Deo dedicari, ac consecrari curarunt, eorumque exemplis permoti Christiani, Sacras Aedes per totum Imperium Romanum excitarunt. Diebus Dominicis, & Festivis Christiani non solum ex Religionis præscripto, sed etiam auctoritate legum obstringebantur abstinere omnino a quocumque servili opere. Apud Ægyptios invaluerat consuetudo, ut non nisi die Dominica audirentur Sacra, qui usus *Synaxis* Græce vocabatur. Non erat licitum Catechumenis, multoque minus Gentilibus, & Judæis oblationi, aut facris rebus interesse. Præter Festivitates Natalis Christi Domini, Paschatis, & Pentecostes, mos erat celebrandi dies festos in honorem Martyrum, præsertim in locis, in quibus, vel Martyrium pro Christo passi fuerant, vel eorum reperiebantur sepulchra. Baptismus cum maxima solemnitate in pervigiis Paschæ, & Pentecostes, juxta antiquissimum morem in trina immersione administrabatur. Baptisterium in Ecclesia erat muro, aut septo ligno inclusum. Qui Baptismo

initiantur, Sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ simul percipiabant, sed in os Infantium, qui baptizabantur, loco Panis Eucharistici, aliquantulum Sanguinis de Calice instillabatur. In extremo vitæ periculo Baptismum quamplurimi recipiebant, in quem abusum Sancti Patres acerrime invecti sunt. Confirmatio per manuum impositionem, & Chrismatismum unctio ab Episcopis conferebatur. Pœnitentiæ publicæ, quæ quarto Ecclesiæ sæculo vigeat, Clerici non addicebantur, sed, si aliquod capitale crimen admisissent, ab officio Clericali dejecti ad Communionem laicalem redigebantur. Semel dumtaxat in vita peragi poterat pœnitentiæ publicæ, nec ad illam dabatur regressus. Liturgiæ, seu Ordini celebrandi Missæ Sacrificium multæ additæ sunt preces, & cæremoniæ, quo illud adorandum Sacrificium majori cultu, ac veneratione perageretur. Calicem Populo Episcopi propinabant, ministrantibus, ut verosimile est, Diaconis, quem usum, utpote jure divino non præceptum, ob multa emergentia incommoda sustulit Ecclesia. Sacra vasa erant aurea, vel argentea. Eucharistia etiam in manus laicorum dabatur, quibus liberum erat eandem in proprios lares deferre, & privatim asservare. Templâ mundis suppellectilibus erant ornata, & omnes populares, excepto Clericorum cœtu, Sacrarum aditu erant interclusi.

D. Sine, quæso, ut te paululum interpellem. Necdum enim satis intelligo, quid sibi velit ista laicalis Communio, ad quam Clerici capitulum criminum rei quarto Ecclesiæ sæculo redigebantur.

M. Laica Communio, quæ Clericis sacris, seu Clericis majoribus Ordinibus initiatis in pœnam capitalis alicujus delicti ab Ecclesia decernebatur, in hoc sita erat, quod intra Sanctuarium Eucharistiæ non sumerent. Solis quippe Sacro Ministerio dedicatis, seu Presbyteris, & Diaconis ingredi Sanctuarium, inique communicare licebat. Hoc itaque Privilegio Clerici majoribus Ordinibus initiati, Presbyteri, & Diaconi, in pœnam alicujus gravis, & capitalis criminis, excidebant, nec nisi cum promiscua laicorum turba fas eis erat divina refici communione. Excluebantur etiam iidem Clerici, qui ad laicam Communionem erant redacti, a Decimis, Oblationibus, & Prædiorum Ecclesiæ fructibus percipiendis. Unde ex bonis patrimonialibus, vel aliorum liberalitate, vel ex proprio labore, ac industria victum sibi querere compellebantur. Quando tamen illi Clerici ad Communionem laicalem redacti, penuria rerum laborabant, hisque nihil ad victum suppetebat, Ecclesia, ut pia Mater, victum illis ex commiseratione suppeditabat, eosque admittebat ad mensam, quæ ad quotidianum victum apparari solebat Fidelibus Peregrinis, quos propriis Episcopus per litteras formatas Ecclesiis, ad quas peregre ibant, commendabat.

D. Perge nunc referre quidquid attinet ad statum politicæ Ecclesiasticæ quarti sæculi, præcipue ea, quæ spectant Patriarchas, Exarchos, Primates, Metropolitanos, Episcopos, Clericos, & Monachos.

M. Quam-

M. Quamvis quarto Ecclesiæ sæculo ignotum adhuc esset Patriarchæ nomen, quod non nisi sub Chalcedonenis Concilii tempora usurpari cœpit, spectatissimæ tamen erant, sicut sæpius observavi, tres Sedes Primariæ, quæ dignitate, & ampliori Jurisdictione cæteris omnibus eminebant, *Romana* scilicet, *Alexandrina*, & *Antiochena*. Harum trium Sedium Episcopi postea *Patriarchæ* fuerunt appellati. His tribus Patriarchis proximus erat honore Hierosolymitanus Episcopus, cui Concilium Nicænum primum Generale *Consequentiam* honoris detulit, salva Metropoli Cæsariensi propria dignitate, & Jurisdictione. Accessit ad Patriarcharum numerum Constantinopolitanus Episcopus, cui, ut in præcedentibus Colloquiis diximus, secundus loco a Romano Pontifice, & honoris Primatus, dignitasque Patriarchica Canone tertio Synodi Constantinopolitanæ primæ Generalis anno cccxxxix. celebratæ concessa est. Patriarcharum privilegia sunt, Ordinationes Metropolitanorum in suis Diocæsiibus, Conciliorum Patriarchalium convocatio, legum Ecclesiasticarum conditio, majorum causarum judicium, procuratio executionis Canonum in omnibus Provinciis sue ditioni subjectis.

Patriarchis dignitate inferiores erant Exarchi, sed Metropolitanis Superiores. In Orientali Ecclesia tres erant Exarchi maxima dignitate, Jurisdictione conspicui, scilicet *Ephesinus*, *Heracleensis*, & *Cæsariensis* Episcopi. Ephesino Asiatica Diocæsis, Heracleensi Thracia, Cæsariensi Pontica parebant. Sed horum Exarchorum auctoritas, instituto Patriarchatu Constantinopolitano, defuit. Qui in Oriente dicebantur Exarchi, fuerunt in Occidente appellati *Primates*, qui suam Jurisdictionem exercebant in Provinciis Ecclesiasticas, seu ab Ecclesia institutas juxta divisionem Provinciarum civilium Imperii Romani, excepta tamen Ecclesia Africana, in qua, nulla habita ratione divisionis Provinciarum civilium, Episcopus, qui erat consecratione antiquior, Primatus nomen, & dignitatem sibi adscribebat. Legendus est ea de re *Petrus de Marca* in *Dissertatione de Primatibus*.

Metropolitani in qualibet Provincia Episcopis præsidebant. Dicebantur autem Metropolitanis, quia Apostoli primas Ecclesias in civilibus Provinciis Metropolitanis fundarunt. Hæc erant Metropolitanorum quarti Ecclesiæ sæculi Jura: Suffraganeos Episcopos ordinare, convocare Concilia Provincialia, & eis præesse, visitare omnes suarum Provinciarum Ecclesias, Episcopos sibi subditos judicare cum Provinciæ Synodo, litteras formatas concedere Suffraganeis suis extra Provinciam pergentibus, invigilare executioni Canonum, & judicare causas Clericorum inferiorum, qui ab Episcoporum suorum judiciis ad illorum Tribunal provocabant (a).

(a) Ab Apostolis institutos Metropolitanos, in singulis civilibus Provinciis Metropolitanis bus asserit hic *Gravefoni*; id tamen usque, & quæque de omnibus orbis Christiani Provinciis verum non esse constat. In Africa plures extitisse provincias certum est; Metropolitana-  
*Graves. Hist. Tom. I.*

rum vero Ecclesiasticarum jura ita incerta erant, ut per omnes Provincias illius urbes decurrerent; nam senior in eadem provincia Episcopus, cujuscunque tandem urbis Antistes esset, ille in tota provincia Metropolitanæ jura obtinebat. Eo defuncto jus Metropolitanum devolvebatur ad alium Episcopum alterius Civitatis, modo comprovincialibus suis senior in dignitate Episcopali esset. Probat hæc allatis in medium exemplis *Schelfstratus* in singulari libro de Africa. Insuper in Oriente Metropolitanas non semper consuevisse institui in urbibus insignioribus haud spernendis argumentis evincit *P. Blanchinus* in erudita *Dissertatione de Ecclesiasticæ Hierarchiæ originibus*.

Mos erat in quarto Ecclesiæ sæculo, ut Episcopus deligeretur a Populo, & a Clero, & quidem ex cœtu Cleri ejusdem Civitatis, in eaque baptizatus, educatus, populis notus, ipsisque acclamantibus. Tres Episcopi, recepto, & vulgato more, eum, qui a populo, & Clero electus erat Episcopus, ordinabant, instante tamen Hæreticorum formidine, unus Episcopus poterat tali defungi officio. Nefas erat, Episcopum, nisi supra urgeret necessitas, Episcopatum deserere, aut ad aliam transfire Ecclesiam. Episcopus, comitante Clero, suæ ditionis loca, veræ fidei servandæ causa, frequens lustrabat. Non licebat Episcopis, citra sententiam Metropolitanis, Decretum ullum edere, quod vel Episcopos, vel rem communem spectaret. Episcopi gaudebant immunitate a publicis officiis. Frequentibus decretis vetitum fuit ab Ecclesia in quarto sæculo, ne in Agris, Villulis, aut modicis Civitatibus præficerentur Episcopi. Unde, Pagorum Ecclesias regerent *Chorepiscopi*, qui licet ordinatione sua Episcopi non essent, Clericos tamen minores ordinare poterant, non tamen Chrisma conficere, nec Confirmationis Sacramentum administrare. Chorepiscoporum Officium erat, visitare Ecclesias Pagorum, quod modo præstant Archidiaconi, pauperum per agros disperforum curam gerere, nullum tamen alicujus momenti negotium inconsulto Episcopo aggrediebantur. Episcopi Synodos singulis annis cogebant ad sancendam disciplinam Ecclesiæ, ejusque integritatem conservandam. Episcoporum defunctorum, qui sancte vitam transegerant, nomina in album reponerentur.

Presbyteri, quarto Ecclesiæ sæculo sub Episcopis curam Animarum gerebant, & Parochias, quæ Romæ *Tituli* appellabantur, administrabant. Magnus erat Presbyterorum, Diaconorum, Acolytorum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum numerus, quorum officia hæc erant, agros invisere, eos, qui in extremis positi necdum baptizati essent, sacro lavacro tingere, egenis, & viduis intra Ecclesiæ septum sedentibus victum erogare. Clericos etiam minores ab oneribus publicis, seu a pendendis vectigalibus, immunes esse voluerunt Imperatores *Constantinus*, & *Constantius*, eandemque Imperatorum legem, quam impius Imperator *Julianus* Apostata abrogaverat, renoverunt alii Imperatores *Valentinianus*, *Gratianus*, & *Theodosius*. Forenses Judices arcebantur a causis  
I 3